mare non audeo. Grande autem dicendi genus hoc maxime
distat ab isto genere temperato. quod non tam uerborum
ornatibus contemptum est quam uiolentum animi affectibus.
Nam capit etiam illa ornamenta pæne omnia sed ea si non
habuerit non requirit. fertur quippe impetu suo et eloquuti
onis pulchritudinem si occurrerit ui rerum rapit non cura
decoris adsumit, satis enim est ei propter quod agitur. ut
uerba congruentia non oris eligantur industria sed pecto
ris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque
ferro uir fortis armetur. Intentissime pugne agit quidem
illis armis quod agit non quia pretiosa sed quia arma sunt
Idem ipse est et ualet plurimum etiam cum rimanti telum ira
fecit. Agit apostolus ut pro euangelico ministerio patien
ter mala huius temporis cum solatio donorum di omnia
tolerentur. Magna res est et granditer agit nec desunt
ornamenta dicendi. Ecce nunc tempus acceptabile ecce
nunc dies salutis nemini dantes offensionem ut non uitupe
retur ministerium nostrum usque ad illud os nostrum
patet ad uos o chorinthii cor nostrum dilatatum est et cetera.
Item que ad romanos agit ut persecutiones huius mundi
caritate uincantur spe certa in adiutorio di agit autem
et granditer et ornate. Scimus inquid quo diligentibus dm